



[The main body of the page is blank and contains no text.]

1.  
1.  
1.  
2.  
1.  
1.  
1.  
2.  
3.



D. O. T. M. A.

556.

SUBSEQUENTES HAS CON-  
CLVSIONES EX MATERIA QVÆ-  
STIONVM, SEVTORTVRÆ  
SELECTAS.

1592, 2,

EXCONSENSU ET

AUCTORITATE AMPLISSI-  
MI IVRISCONSULTORVM OR-  
dinis in illustrissima Tubingensi  
Academia.

4

SUB PRÆSIDIO

PRÆCLARIS-

SIMI ET CONSULTISSIMI

VIRI, DOMINI MATTHÆI ENTZLINI,

I. V. D. AC EIVSDEM ACADEMIÆ CODI-

cis Professoris ordinarij, Præceptoris ac Patroni sui omni-

bus debitæ pietatis modis sigillatim obseruandi atq; colen-

di, 3. Calend. Octob. hora consueta, in ICC. Auditorio,

publici exercitij gratia, quantum ingenij vires,

ætasq; patientur, propugnandas

fulcipiet

M. GEORGIUS CNODERVS, AR-  
GENTORATENSIS.



TUBINGAE

Excudebat Georgius Gruppenbachius,

ANNO MD. CII. XCII.



**MAGNIFICO, ET  
VERE NOBILI VIRO, D. MELIORI  
IÆGERO, A GÆTRINGEN, IN HÖPFFINGEN**

*& Eningen: Illustrissimo Principi ac Domino, Domino Ludouico, Duci Uirtembergico  
& Teccio, Comiti Montispeligerdi, &c. à Consilijs intimis, &c. Domino,  
Mecænati ac fautori suo omnibus debita obseruantia  
generibus reuerenter honorando;*

**AMPLISSIMIS ITEM, NEC NON  
NOBILITATE, VIRTVTIBVS, VITÆ-  
que grauitate clarissimis atque consultif-  
simis viris;**

**D. BALTHASARO EISENGREINIO,**  
*I. V. D. Excellentissimo, ac Senatus Ecclesiastici Directori di-  
gnissimo, fidelissimoq̃.*

**ET D. BALTHASARO MOSERO,**  
*multarum rerum usu, experientiaq̃, praestantissimo, eiusdemq̃ In-  
clyti Ducis Uirtembergici, &c. Consiliario prudentissimo.*

**DOMINIS, ADFINIBVS, CO-  
GNATIS AC PATRONIS SVIS DEBI-  
to pietatis cultu, instar parentum, summo honore  
prosequendis atq; colendis;**

*Conclusiones has, studiorum suo-  
rum symbolum, debitaq̃ grati-  
tudinis & obseruantia monu-  
mentum nuncupat, dicatque*

*M. Georgius Cnoderus, Argen-  
toratensis.*

## Conclusio I.



**Q**VAESTIO NIHIL ALIUD EST, quam interrogatio, à iudice, siue persona ab ipso electa, per tormenta, corpus dolore afficientia, aduersus reum, qui sufficientibus indicijs grauatus est, ritè suscepta, ad commissi criminis veritatem exquirendam.

### II.

Nuda & simplex interrogatio vel leuis territio minimè: At mala mansio à Græcis sic dicta: vt & qualiscunque compellatio & interrogatio, tormentis alicui illata, quaestionis appellatione rectissimè venit.

### III.

Si iudex extra locum illum, in quo aliàs homines torqueri solent, diceret; aut fatearis, aut ducam te ad torturam, in qua fateri cogéris; sicque reo terrorem inferret, ob quem statim crimen cōfiteretur: vel si ad ipsa quidem tormenta adduceret, eaq; ei demōstraret, cum minis adiectis de subijciendo torturæ: manibus tamen retrò non ligatis, territiones has quaestionis nomen assumere, & confessionē, ex illis subsecutam, tormentorum metu factam, nequaquam existimandum est.

### IV.

Confessio quoq; in leui carceratione à reo facta, spontanea, nulloque metu extorta dicitur, sed confitenti, licet in ea non perseueranti, nocet. Nec vnquam priùs formidine tormentorum excussa iudicatur, nisi quis ipsis tormentis adhibitus, vel prope ea ligatus fuerit, ac iudex comminationes præmiserit.

### V.

Attamen Magistratus, qui personam, aliàs ex præscripto statuti ciuitatis cuiusdam à tortura priuilegiatam, non qui-  
dem ad torturam ponit, sed in turri, vel alio loco teneri præcipit, denegando ei alimenta vel stratum: Aut in hyeme eum in frigore stare mandat, omnibus pannis spoliatū & nudum, donec confiteatur crimen, de quo quaeritur, in statuti pœnam incidit. Nihilominus verò ille, qui torqueri prohibetur, leuiter carcerari potest, si alimenta non denegentur, neque carce-  
ratio

ratio periculosa sit, ratione vel loci, vel infirmitatis, vel infamiae, pro qualitate personae detentae.

VI.

Hunc autem in usum quaestiones introductae sunt, ut, cum pleraque crimina occultè committantur, per tormentorum vim veritas exquiratur, nocentes ob commissa crimina puniantur; innocentes verò à suspitione liberentur.

VII.

Et quidem reus sponte crimen confitens, ex propria confessione, ac sua quasi sententia condemnatur: Negans verò testibus conuincendus est: His verò deficientibus, tunc medium inuestigandi veritatem nullum est aliud, quàm tortura, qua quis ad veritatis confessionem (deficientibus alijs probationibus) adigitur.

VIII.

Ceterum, quamuis Iure Pontificio quaestiones improben-  
tur, in primisq; Alexander Papa maleficij confessionem cruciatibus extorquendam esse nolit, humano prohibens cōdemnari examine, quem Dominus suo reseruauerit iudicio: nihilo tamen minus ob id hanc Iuris ciuilibus pars de quaestionibus rei-  
cienda non est.

IX.

Neq; etiam hanc ob causam tortura de Rebus pub. expellenda est, quòd multi populi eam plus mali, quàm boni attulisse, & tormentorū pernicie plures innocentes, quàm nocentes, damnatos fuisse putauerint.

X.

Iudex autem iuris, & humanitatis rationem habere diligenter debet, ne facile & repenti ad tormenta profiliat, etiam si graua adsint argumenta, si medio probationis ordinario obiecti criminis veritatem explorare possit.

XI.

Nec vnquam contra suspectum reum tormentis uti debet, nisi prius, certò sibi constet delictum esse commissum, neque eum, licet se delictum aliquod commississe confessus fuerit, ex sola confessione condemnare potest, si de eo aliter non appareat.

Vnde

XII.

Vnde de facta confessione rei accuratè inquirere debet, vt constare possit, vtrum ea, quæ reus se admisisse confessus est, crimina perpetrata sint.

XIII.

Quòd si crimen commissum confessione rei, aut testibus probatum liquidò sit, adhiberi tortura non debet.

XIV.

Delicti quoq; qualitas iudici spectanda est, ne in qualibet causa, sed grauioribus delictis, vtpotè læsæ maiestatis, adulterij, sodomix, homicidij, veneficij, hæresis, simoniæ, falsi, furti, & similium, torturæ remedio vtatur.

XV.

Sed & si corporis afflictiua pœna, vt fustigatio, vel ad remos damnatio imponenda sit, iudex torturam adhibere poterit.

XVI.

Verùm in crimine, ob quod pœna relegationis perpetuæ sequi potest, vt & pecuniarijs, nec non iniuriarum realium causis, si tantùm pecuniæ periculum sit, corpori cruciatus inferendi non sunt.

XVII.

Non tantùm autem rei, sed etiam testes aliquando, scilicet in dicendo testimonio trepidantes, vacillantes, aut sibiipsis contradicentes negociouè, de quo quæritur, se interfuisse, idque vidisse negantes: Alijs interfuisse eos asseuerantibus, leuiori tamen torturæ tradi possunt.

XIIX.

Similiter & suspectus de libello famoso, si criminis qualitas ab eo in libello expressa supra relegationem pœnam extendat, rectè torquetur.

XIX.

Porrò neminem etiam ob delictum perpetratũ, nisi prius suspicione laboret, alijsq; indicijs verisimilibus, probabilibusq; oneratum ac penè conuictum constet, vt nihil ampliùs, quàm sola eius confessio deesse videatur, torture subijcere licet: sed his deficientibus accusatori instandum, vt id, quod intendit, probet, ac ita reum conuincat.

## XX.

Indicium autem ita commodè describi potest, quod sit signum notabile alicuius maleficij commissi, vel alterius rei, de qua agitur. Eiusq; genera omnia, quotquot à D d. describuntur, tribus præcipuè concludi possunt, dicunturq; leuia, graua, & grauißima.

## XXI.

Leuia animum Iudicis mouent ad inquirendum ex officio; verùm ex sese insufficientia sunt, vt ob ea sola quis torturæ adiudicetur: ad capturam tamen sufficiunt. Graua ipsum tangunt negocium, & profunt ad examinandum captum: nec tamen sola ad torturam sunt sufficientia, etiamsi probata fuerint, sed cum alijs coniuncta torturæ locum faciunt. Grauißima duorum fide dignorum, nec suspectorum, idemque testantium; vel etiam vnius fide digni, omniq; exceptione maioris, deq; veritate delicti constanter deponentis, comprobata testimonio per se & sola ad torturam: & coniuncta cum alijs ad condemnationem quoq; sufficiunt.

## XXII.

Vnum indubitatum & plenum indicium ad torturam sufficit, licèt iura passim plurali numero vtantur: At quæ indicia ad quæstiones habendas digna dicantur, de illo certa definitio tradi non potest, sed Iudicis prudentis & experti arbitrio, discretioni & conscientiæ committendum est, tum ob negotiorum varietatem: tum ob personarum qualitatem: quarum aliæ tanta patientia & duritia tormentorum sunt, vt ea fortiter conténant, adeò vt millies etiam interrogati, nil respondeant. Aliæ verò tanta impatientia, & mollicie, vt quiduis potius mentiri, quàm pati tormenta velint, statuimus.

## XXIII.

Et licèt Iudici potestas ex proprio arbitrio iudicandi secundùm personæ, delicti & indiciorum qualitatem, legibus sit concessa: Minimè tamen eam ita nudè & simpliciter concessam intelligi oportet, quasi planè liberum arbitrium sequi debeat, sed potius publicum & secundùm leges & canones regulatum.

Quan-



XXIII.

Quamquam fama publica de maleficio commisso, per se sola ad inquirendum; cum alio verò adminiculo coniuncta sufficiens sit ad torquendum: Is tamen, contra quem talis prolata est, si se bonæ vocis, conditionis, & famæ probet, torqueri non potest.

XXV.

Iste quoq; apud quem res furto subtracta, reperta fuit, non prius fur præsumendus est, quàm si non doceat, à quo illam acceperit, simulq; malæ vocis conditionis & famæ existat: At si bonam famam probet, vel talis persona sit, quæ eiusmodi res emere vel vendere soleat, eamque in publico habeat, licet autorem non doceat, à tortura est exemptus.

XXVI.

Suspicio item ex persona, quòd furibus aut raptorib. opem auxiliumve tulerit, sufficiens indicium est ad torturam: si tamen eam de actionibus raptorum istorum veram & perfectam cognitionem & scientiam habuisse prius probatum fuerit.

XXVII.

Nec quisquam, nisi cõditio & status eius patiat, tormentis adiudicandus est: De se autem quisq; interrogandus, non in caput aliorum.

XXIIX.

Personæ verò, quarum conditio torturam excludit, sunt fœminæ prægnantes, impuberes seu minores 14. annis propter minorem: Senes decrepiti propter grandiores ætatem, valetudinarij: Sicut olim Decuriones, militesq; veterani: ita hodie equites, capitanei, seu ductores militum, nobiles, clerici, doctores, vt & aduocati. Sed tamen consuetudine contraria receptum est, vt reatus dignitatem excludat.

XXIX.

Reus non solum in diebus profestis, sed interdum etiam feriatis subijci quæstionibus potest. Tortus verò, & quidem sufficienter, nihilque confessus, ex primis indicijs, licet valde urgentibus, iterum ad torturam rapi non potest, sed absolvendus est. Quòd si autem nova ac prioribus fortiora supervenerint indicia, utique repetere torturam licet.

Deniq;

XXX.

Deniq; confessioni, à reo in tormentis facte, in iudicio spontè ratificatæ, firmiter, & tutò fides adhiberi potest.

XXXI.

Confessionem tamen cruciatu tormentorum indebitè & nullis legitimis indicijs præcedentibus illatorum factam, neutiquam præiudicare, multò minùs ex illa quempiam condemnari posse concludimus.

X2615896

V. 17





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19  
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13



M. A. 556.  
HAS CON-  
TERRIA QVAE-  
ORTVRAE  
S.  
1592, 2,  
NSV ET  
AMPLISSI-  
TORVM OR-  
ubingensi  
4  
IDIO  
ARIS-  
VLTISSIMI  
HÆI ENTZLINI,  
CADEMIÆ CODI-  
orisac Patroni sui omni-  
n obseruandi atq; colen-  
meta, in ICC. Auditorio,  
ntum ingenij vires,  
opugnandas  
ODERVS, AR  
ENSIS.  
G AE  
ruppenbachius,  
O. XCII.